MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80350-4

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

SCHOLLMEYER, ERNST

TITLE:

OVID CICERO DE POETIS ROMANORUM ...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1884

Master Negative #

91-80350-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87CD
Sch64

Schollmeyer, Ernst, 1860-
Qvid Cicero de poetis Romanorvm ivdicaverit.
Halis Saxonvm, 1884.
28 p.

Thesis, Halle.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12-3-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

87CD-Sch64

Columbia University
in the City of New York

THE LIBRARIES



QVID CICERO DE POETIS ROMANORVM IVDICAVERIT.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORVM ORDINIS IN VNIVERSITATE
FRIDERICIANA HALENSI CVM VITEBERGENSI
CONSOCIATA AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA
HONORES RITE CAPESSENDOS VNA CVM
SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE IV. M. APRILIS
A. MDCCCLXXXIV HORA XII PVBLICE
DEFENDET

ERNESTVS SCHOLLMEYER,

MVLH[redacted]

ADVERSARII ERVNT:

E. LOEWENHARDT, DR. PHIL.

E. SPANGENBERG, CAND. PHIL.

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARY

HALIS SAXONVM

TYPIS HENDELIIS

MDCCCLXXXIV.

87CD
Sch64

369B

369B July 12, 1906

PARENTIBVS SACRVM.

Cum de Graecorum poetis quid senserit Cicero, ante hos tres annos uberius quaesiverit Edmundus Lange,[1] eiusdem iudicia de Romanorum poetis accuratius exponere haud a re esse videbitur. Nam qui adhuc hanc materiam in libris suis tetigerunt, Vahlen,[2] Teuffel,[3] Ribbeck,[4] L. Mueller,[5] Lange[1] non tam data opera quam occasione oblata strictim de ea exposuerunt.

Totam autem dissertationem sic instituere in animo habemus, ut primum quid Cicero omnino de Romanorum poetis iudicaverit, deinde quid de singulis poetis Romanis eorumque carminibus senserit, explicare conemur.

Ac Ciceronem Romanorum poetas studiosissime legisse, satis probatur ingenti multitudine locorum, quos ex illis ad ornandam orationem in libris suis adhibuit.[6] Sed Cicero illos non solum studio et favore verum etiam summa admiratione dignos putat. Etenim Graecis eos sibi haudquaquam inferiores videri etiam expressis verbis praedicat.[7] Hoc autem eo minus mirum videtur, quod

---

[1] Quid cum de ingenio et litteris tum de poetis Graecorum Cicero senserit. Halis 1880.

[2] Ennianae poesis reliquiae Lips. 1854.

[3] Caecilius Statius, Pacuvius, Attius, Afranius. Progr. Tub. 1858.

[4] Die römische Tragödie im Zeitalter der Republik. Leipz. 1875.

[5] Leben und Werke des Gaius Lucilius. Leipz. 1876. Quintus Ennius. St. Petersburg 1884.

[6] Tusc. disp. II, 11,26 ed. Orellii 1845.

[7] Tusc. disp. I, 2,3. Langio, qui p. 30 praecipue ex hoc loco et ex altero de fin. I, 2,4 colligit, Ciceronem Graecis praestantiam in poetica tribuendam esse concedere, assentiri non possum. Primum enim haec verba Tusc. disp. I, 2,3: „Nec tamen si qui magnis ingeniis in eo genere exstiterunt, non satis Graecorum gloriae responderunt" non tam „dubitanter et contorte" dicta esse mihi videntur, ut ex iis illud concludere coacti simus. Deinde non intelligo, quomodo „toto sententiarum loci illius: de fin. I, 2,4 conexu eo perducamur, ut

lle, quo erat patriae amore, inter „litteras Graecas quasi ex ipsa huius populi natura et indole natas et Romanas fere totas aut a Graecis translatas aut certe ad eorum praecepta et exempla formatas"[1] nihil interesse putavit. Quam Ciceronis sententiam fuisse, etiam eo confirmatur, quod ipse, quamvis Romanorum fabulas aut sententiis aut ipsis verbis in Latinum sermonem translatas esse aperte dicat,[2] tamen se nihilo minus Romana quam Graeca carmina legere confitetur.[3]

Quanti autem Romanorum poetas aestimaverit, singula quoque de iis et eorum carminibus iudicia, de quibus acturi sumus, dilucide demonstrant. Sed ut cognoscamus, quinam Romanorum poetae Ciceroni inprimis placuerint, iam locos illos, qui apud eum ea de re exstant, recenseamus.

Ac Ciceroni nota fuerunt:

Livii Andronici[4]

Odyssia: Brut. 18,71,
fabulae: ibidem;

Naevii

bellum Punicum: Brut. 19,75. Cat. mai. 14,50.,
e fabulis

Graecorum praestantiam Ciceronem sensisse statuamus." Mea quidem sententia ibi Cicero sic disputat: Eos etiam, qui se Latina scripta dicerent contemnere, Latinas fabulas legere. Et recte quidem. Etenim quamvis aliquis se Graecorum fabulis delectari diceret, tamen eum vel propter amicitiam in nomen Romanum fabulas Romanas non spernere aut reicere. Cicero igitur hoc loco ne de illa quidem re, utrum is iure an iniuria Graecorum fabulis delectetur, nedum iure ille magis Graecis quam Romanis fabulis delectetur necne, quaerit.

[1] Lange p. 6.
[2] de fin. I, 2,4. — acad. post. I, 3,10. — de opt. gen. or. 6,18.
[3] de fin. I, 2,5.
[4] Secutus sum Ribbeckium (Tragic. Roman. fragmenta Lips. 1871 et Comic. Romanorum praeter Plautum et Terentium fragm. Lips. 1873) in fragmentis tragicorum et comicorum, Vahlenium (l. l.) in annalium Ennianorum, L. Muellerum (G. Lucili saturarum reliqu. Lips. 1872) in Lucili saturarum reliquiis.

Equus Trojanus:
ad fam. VII, 1,2. — ad fam. VII, 16,1.,

Hector proficiscens:
Tusc. disp. IV, 31,67. ad fam. V, 12,7. ibid. XV, 6,1.,

Lupus:
Cat. maj. 6,20.;

Ennii

annales:

(lib. I.) Acad. pr. II, 16,51. ibid. II, 27,88. de re p. VI, 10,10. — Tusc. disp. I, 12,27. — de div. I, 20,40—41. — orat. 48,161. — de div. I, 48,107—108. — de re p. I, 41,64. — Tusc. disp. I, 12,64.

(lib. III.) de div. II, 62,127.

(lib. IV.) de re p. I, 16,25.

(lib. VI.) de div. II, 56,116. — de off. I, 12,38. — Cat. mai. 6,16. — de re pub. III, 3,6.

(lib. VII.) Brut. 19,76. orat. 47,157. Brut. 18,71. orat. 51,171. de div. I, 50,114. — de inv. I, 19,27.

(lib. VIII.) ad fam. VII, 13,2. pro Mur. 14,30. — pro Balbo 22,51.

(lib. IX.) Tusc. disp. I, 20,45. de deor. nat. III, 10,24. — Brut. 15,57. Cat. mai. 14,50. — orat. 27,93. de orat. III, 42,147. ad fam. IX, 7,2. de off. I, 24,84. — Cat. mai. 4,10. ad Att. II, 19,2. — orat. 45,152.

(lib. X.) de re p. I, 18,30. Tusc. disp. I, 9,18. de or. I, 45,198. — Cat. mai. 1,1.

(lib. XVIII.) Cat. mai. 5,14. — de orat. III, 42,168.,

incertae sedis fragmenta: orat. 47,157. — de orat. III, 42,168. — de div. II, 39,82. — ad Atticum II, 15,3. — de orat. III, 42,167. — ad Atticum VI, 2,8. — de deor. nat. II, 2,4.,

e tragoediis:

Achilles Aristarchi:
Verr. act. II, 1,18.

Aiax:
de off. I, 18,61. — de orat. III, 40,162. acad. pr. II, 28,89.

Alcumaeo:

de orat. III, 58,218. de fin. IV, 23,62. de or. III, 38,154. — Tusc. disp. IV, 8,19. de fin. V, 11,31. — acad. pr. II, 28,89. pro Rosc. Am. 24,67. — acad. pr. II, 17,52. ibid. II, 27,88.,

Alexander:

de div. I, 21,42. de div. I, 31,66. orat. 46, 155. — de div. II, 55,112. ad Atticum VIII, 11,3. — de div. I, 50,114. ibid. II, 55,112.,

Andromacha Aechmalotis:

Tusc. disp. I, 21,48. — Tusc. disp. III, 19,44. de orat. III, 47,183. de or. III, 26,101. — orat. 27,93. de orat. III, 58,217. Tusc. disp. I, 35,85. Tusc. disp. III, 22,53. — Tusc. disp. I, 44,105.,

Erechtheus:[1]

de deor. nat. I, 42,119.,

Eumenides:

Tusc. disp. I, 28,69. de orat. III, 38,154. — de orat. I, 45,199.,

Hectoris lutra:

pro Rosc. Am. 32,90. — Tusc. disp. II, 16,38 — 17,39. — orat. 48,160.,

Hecuba:

de fin. bon. et mal. II, 13,41.,

Iphigenia:

de div. II, 26,57. — Tusc. disp. III, 3,5. — Tusc. disp. IV, 36,77. — de re p. I, 18,30. de div. II, 13,30. — Tusc. disp. I, 48,116.,

Medea exul:

de fato 15,35. pro Cael. 8,18. de inv. I, 49,91. Topic. 16,61. de deor. nat. III, 30,75. de fin. I, 2,5. Tusc. disp. I,

[1] Cicero ex Ennii Cresphonte nonnullos versus affert: de inv. I. 49,91. Quo ex loco hanc fabulam Ciceroni notam fuisse colligi non potest, cum eum hos versus e rhetoricis ad Herennium (II, 25,39) sumpsisse constet.

20,45. — ad fam. VII, 6,1. — pro Rab. Post. 11,29. ad Attic. VII, 26,1. — de deor. nat. III, 26,66. — de deor. nat. III, 26,67. — de orat. III, 58,217. de or. III, 56,214. pro Mur. 41,88. — Tusc. disp. IV, 32,69. — ad fam. VII, 6,2. de off. III, 15,62.,

Melanippa:

de off. I, 31,114. — de deor. nat. II, 25,65.

Telamo:

Tusc. disp. III, 13,28. ibid. 24,58. — de div. II, 50,114. de deor. nat. III, 32,79. — de div. I, 58,132. — de div. I, 40,88.

Telephus:

de orat. III, 26,102. — de off. I, 16,51 — 52. pro Balbo 16,36.,

Thyestes:

Brut. 20,78. — orat. 55,184. — Tusc. disp. III, 19,44. — Tusc. disp. III, 12,26. — de deor. nat. II, 2,4. de deor. nat. III, 4,10. de deor. nat. III, 16,40. — de off. II, 7,23. — Tusc. disp. III, 12,26. de orat. III, 41,164. — de off. III, 29,104. — de off. I, 8,26. de rep. I, 32,49. — Tusc. disp. I, 44,107. — in Pison. 19,43.,

ex Ennianis tragoediis incerti nominis reliquiae Tusc. disp. II, 1,1. de orat. II, 37,156. de rep. I, 18,30. — de orat. III, 40,162. — Tusc. disp. IV, 33,70. — Lael. 17,64. — de off. II, 18,62. — de orat. II, 54,222. — de div. II, 56,115.,

saturae: de orat. III. 42,167. de fin. II, 32,106. — de deor. nat. I, 35,97.,

epigrammata: Tusc. disp. I, 15,34. ibid. I, 49,117. Cat. m. 20,73. — de leg. II, 22,57. — Tusc. disp. V, 17,49.,

Epicharmus:

acad. pr. II, 16,51.,

Euhemerus:

de deor. nat. I, 42,119.;

Pacuvii

Antiopa:

de fin. bon. et mal. I, 2,4. acad. pr. II, 7,20. de off. I, 31,114. — de orat. II, 37,155. de rep. I, 18,30. – de inv. I, 50,94. — de div. II, 64,113. – ad fam. IX, 22,1.[1],

Armorum iudicium:

de fin. V, 11,31. — orat. 46,155.,

Chryses:

de orat. III, 42,167. — de deor. nat. II, 36,91. — de div. I, 57,131. — de fin. bon. et mal. V, 22,63. ibid. II, 24,70. Lael. 7,24.

Hermiona:

de orat. II, 44,187. Tusc. disp. II, 21,47.,

Iliona:

Tusc. disp. I, 44.106. pro Sestio 59,126. — de orat. III, 58,219. orat. 49,164. — acad. pr. II, 27,88. ad Attic. XIV, 4,1. Tusc. disp. II, 19,44.,

Medus:

de off. I, 31,114. — de inv. I, 19,27. — Tusc. disp. III, 12,26. — Tusc. disp. IV, 32,69. — de inv. I, 48,90.,

Niptra:

Tusc. disp. II, 21,49.,

Teucer:

de orat. II, 46,193. de orat. III, 58,217. — de div. I, 26,29. — de div. I, 36,80. — Tusc. disp. V, 37,108.;

Accii

Clytemnestra:

ad fam. VII, 1,1. de off. I, 31,114. — orat. 46,156. — ad fam. IX, 22,1. — de orat. III, 41,166. — Topic. 16,61.,

---

[1] Huc mea quidem sententia respicit Cicero: Tusc. disp. IV, 33,70.

Armorum iudicium:

de off. III, 26,98.,

Atreus:

de orat. III. 58,218. Tusc. disp. IV, 36,77. — Tusc. disp. V, 28,52. — de deor. nat. III, 26,68. de off. I, 28,97. pro Sestio 48,102. Phil. I, 14,34. — pro Planco 24,59. — de off. I, 28,97. — de off. III, 28,102. ibid. 29,106. — Tusc. disp. IV, 36,77. de orat. III, 58,217. — ad fam. VII, 30,1. ibid. VII, 28,2. ad Attic. XV, 11,3. ibid. XIV, 12,2. Phil. XIII, 21,49. – de orat. III, 58,217. Tusc. disp. IV, 25,55. — in Pison. 33,82. – Tusc. disp. II, 5,13. — de off. III, 21,84.,

Epigoni:

de opt. gen. or. 6,18. — de og. I, 31,114. — de inv. I 50,94. — ad fam. VI, 6,6.,

Epinausimache:

Tusc. disp. I, 44,105.,

Eurysaces:

Tusc. disp. III, 18,39. ad fam. IX, 26,2. — pro Sestio 56,120 – 58,123.,

Heraclidae:

de nat. deor. III, 16,41.,

Medea:

de deor. nat. II, 35,89.,

Melanippus:

Tusc. disp. III, 9,20.,

Meleager:

Tusc. disp. II, 15,36.,

Myrmidones:

pro Mur. 29,60.,

Nyctegresia:

Tusc. disp. III, 26,62.,

Oenomaus:

ad fam. IX, 16,4. — Tusc. disp. II, 27,67.,

Philocteta:

de deor. nat. I, 47,119. — Tusc. disp. II, 10,23. — de fin. bon. et mal. V, 11, 32. — ad fam. VII, 33,1. — Tusc. disp. II, 14,33. de fin. II, 29,94. Tusc. disp. II, 7,19. — Tusc. disp. I, 28,69.,

Prometheus:

Tusc. disp. II, 10,24. — de off. II, 4,13. de deor. nat. II, 60,151,

Troades:

Tusc. disp. I, 16,37.,

Brutus:

ad Att. XVI, 2. — de div. I, 22,44. — pro Arch. 11,27.;

Atilii

Electra:

de fin. I, 2,5.,

ex incerta fabula fragmentum: ad Att. XIV, 20,3.;

C. Titii

tragoediae: Brut. 45,167.;

C. Jul. Caesaris

tragoediae: Brut. 48,177.;

Quinti Ciceronis

Σύνδειπνοι:

ad Quint. fr. II, 15(16),3.,

Electra:

ad Quint. fr. III, 6,7.,

Troilus:

ibid.;

Plauti[1]

Aulularia:

de div. I, 31,65. — II, 2,1.,

Miles gloriosus:

Lael. 26,98.,

Trinummus:

de inv. I, 50,95. — I, 1,1 — 4.[2]
de orat. II, 10,39. — III, 2,79.;

Caecilii Statii

Hypobolimaeus:

pro Rosc. Am. 16,46.,

Plocium:

Cato maj. 8,25.,

Synephebi:

de fin. I. 2,4. de opt. gen. orat. 6,18. — de deor. nat. III, 29,72 — 73. — Cat. mai. 7,24. Tusc. disp. I, 14,31. — de nat. deor. I, 6,13.,

incertae fabulae: pro Cael. 16,37. de fin. II, 4,14. — pro Cael. 16,37. (O infelix cet.) — Lael. 26,29. Cat. maj. 11,36. — de orat. II, 64,257. — de fin. II, 4,13. ad fam. II, 9. — ad Att. VII, 3,10. — Tusc. disp. IV, 32,68. — Tusc. disp. III, 23,56. — de or. II, 10,40.;

Trabeae

incertae fabulae: Tusc. disp. IV, 31,67. — ad fam. II, 9,2. de fin. II, 4,13. ad Paetum IX, 21.;

Terentii

Andria:

de fin. I, 2,4. — de opt. gen. or. 6,18.
de inv. I, 23,33. — I, 1,22 — 23.

---

[1] Cicero etiam Plauti Pseuduli et Truculenti mentionem facit: Cat. mai. 14,50.

[2] Hos versus e rethor. ad Her. II, 23,35 a Cicerone sumptos esse eo apparet, quod is eodem modo ac. scriptor rhetoricorum ad Herennium illos ad demonstrandum, quid sit infirma ratio, falso adhibet. (Brix, Trinummus 1,37.)

de inv. I, 19,27. ibid. I, 23,33.
deor. II, 80,326. — I, 1,24.
Lael. 24,89. — I, 1,41.
de orat. II, 40,172. — I, 1,83—85.
de orat. II, 80,326. — I, 1,90.— I, 1,101—102.
de inv. I, 23,33. — I, 1,130 et 141.
ad fam. XII, 25,4. — I, 2,18.,

Eunuchus:

de deor. nat. III, 29,72. — I, 1,1 et 4.
Tusc. disp. IV, 35,76. — I, 1,14 - 18.
Lael. 25,93. — II, 2,21—22.
de off. I, 42,150. — II, 2,26.
Lael. 26,98. — III, 1,1.
ad fam. I, 9,19. — III, 1,50—55.
de deor. nat. II, 23,60. — IV, 5,6.,

Heautontimorumenos:

de fin. I, 4,14. — I, 1,1.
de fin. I, 1,3. — I, 1,17.
ad Att. XII, 6,3. — I, 1,23.
de off. I, 9,30. de leg. I, 14,33. — I, 1,25.
de fin. V, 10,29. — I, 1,28.
ad fam. VII, 10,4. — I, 1,34.
Tusc. disp. III, 27,65. de fin. V, 10,28. — I, 1,95—96.,

Phormio:

pro Caecina X, 27.
ad Att. II, 19,1. — II, 1,2—3.
Tusc. disp. III, 14,30. — II, 1,11—15 et 21.
de deor. nat. III, 29,73. — II, 2,7.
or. 47,157. — II, 3,37.
ibid. — II, 3,43.,[1]

Adelphi:

Cat. mai. 18,65.
de inv. I, 19,27. — I, 1,35—39.
pro Cael. 16,38. — I, 2,40—41.;

---

[1] Cicero non tres ut Langius l. l. p. 53 putabat, sed quinque locos e Phormione sumpsit.

Sexti Turpilii

Demiurgus:

ad fam. IX 22,1.,

Leucadia:

Tusc. disp. IV, 34,72.;

Afranii

Simulans:

pro Sestio 55,118.,
incerta fabula: Tusc. disp. IV, 20,45. ibid. 25,55. ad Att. XVI, 2,3.;

Pomponii

incerta fabula: ad fam. VII, 31.

Novii

incertae fabulae: de or. II, 69,279. — de or. II, 63,255. — de or. II, 70,285.;

Decimi Laberii

incerta fabula: de off. I, 31,114. cf. Ribb. fr. com. p. 297.

anonymi

Tutor:

de orat. II, 64,259.,

anonymorum mimi:

ad fam. IX, 16,7.— Phil. II, 27,66. — pro Caelio 27,64 — de orat. II, 67,274.— de orat. II, 61,251.;

Lucilii

saturae: (lib. IV.) de fin. II, 8,24.— ad Att. XIII, 52,1. de fin. II, 8,25. - de opt. gen. or. 6,17. Tusc. disp. II, 17,41. ad Quint. III, 4,2. orat. 48,161.— Tusc. disp. IV, 21,48.— de orat, III, 23,86.
(lib. XI.) ad Att. VI, 3,7. ibid. II, 8,1.- Brut. 46,172.
(lib. XXII.) de fin. II, 8,23.
(lib. XXIX.) de orat. II, 6,25.,

libri incerti: de fin. I, 3,9. — de orat. III, 43,171. orat. 44,149. Brut. 79,274. — de orat. III, 43,171. — de orat. II, 62,253.;

Varronis
poemata: acad. post. I, 9.;

Lucretii
poemata: ad Quint. II, 21,4.;

Carmina incerta ad Archiae:
oratio pro Archia 9,19.;

Calvi:
ad fam. VII, 24,1.

Iam videmus, si numerum locorum, quibus poetae vel potius eorum carmina a Cicerone commemorantur, inter se comparamus: Ciceronem primum quidem multo maiorem delectationem ex antiquioribus quam e recentioribus Romanorum poetis cepisse in illisque Ennium eximie dilexisse, deinde omnino magis poetis epicis, satiricis, tragicis, comicis quam Atellanarum et mimorum poetis delectatum esse, tragicos denique libentius quam comicos legisse.

Atque Ennium Ciceronis opinione prae ceteris epicis poetis, de quibus primum agamus, excellentem exstitisse iam intelligemus, si eius iudicia de his poetis examinabimus. Cicero enim Livii Odyssiam Latinam esse sic tamquam opus aliquod Daedali, Naevii autem bellum Punicum quasi Myronis opus delectare dicit.[1] Qua ex re Ciceronem Naevianam poesin magni aestimasse patet. Paulo ante enim Myronis signa nondum satis ad veritatem esse adducta, iam tamen quae non dubites pulchra dicere contendit.[2]

Sed quamvis Naevium Livio longe anteponat, illum tamen Ennio inferiorem existimat. Etenim Naevium

[1] Brut. 19,75. [2] Brut. 18,70.

etiamsi luculente, minus polite tamen quam Ennium scripsisse tradit.[1] Idem igitur fere de Ennio ac de Polyclito, cuius signa etiam pulchriora quam Myronis et iam plane perfecta putat,[2] videtur sensisse.

Quid, quod Ennii et Homeri carmina[3] et altum dignitatis gradum,[4] quem apud suum quisque populum obtineat, inter se confert?

Quae cum ita sint, non miror, Ennium „summum epicum poetam“[5] a Cicerone appellatum esse.

Iam in annalibus ipsis ,,poetae ingeniosi“ Cicero valde admiratur sublimes narrationes ut illa:[6]

„Curantes(sc. Romulus et Remus) magna cum cura concupientes
Regni dant operam simul auspicio augurioque.
Hinc Remus auspicio se devovet atque secundam
Solus avem servat. At Romulus pulcher in alto
Quaerit Aventino, servat genus altivolantum.
Exspectant veluti, consul quom mittere signum
Volt, omnes avidi spectant ad carceris oras,
Quam mox emittat pictis e faucibus currus:
Sic exspectabat populus atque ore timebat
Rebus, utri magni victoria sit data regni. e. q. s.“

Atque etiam ea re illud confirmatur, quod ipse quoque Ennium secutus hoc sublimi genere dicendi in „Mario“ usus est.[7] Deinde Ciceroni ut homini vere Romano illud carmen hanc ob rem placet, quod illustres Romanorum viri[8] simul cum totius populi Romani fama[9] in eo celebrantur.

Ennio autem tantam historiae fidem tribuit, ut eum „idoneum“[10] et „valde bonum“[11] auctorem esse dicat.

Uno tamen loco[12] Cicero reprehendit Ennium, quod, cum hoc Pyrrho ab oraculo Apollinis esse responsum

[1] Brut. 19,79. [2] Brut. 18,70. [3] orat. 31,109. [4] Brut. 18,71. [5] de opt. gen. or. 1,2. [6] de div. I, 48,107. — ibid. II, 3,8. [7] de div. I, 47,106. Hoc loco et orat. 45.152 Cicero se cum Ennio confert. Quare Langio non assentior, qui l. l. p. 28 sic disserit: ,,Ne unus quidem locus invenitur, ubi Cicero cum magnis Romanorum poetis se comparare audet.“ [8] Cat. mai. 6,16. — de re publ. III, 3,6. — de or. I, 45,198 et de re p. I, 18,30. [9] pro Arch. 9,22. [10] Brut. 15,57. [11] pro Mur. 14,30. [12] de div. II, 56,116.

finxisset: „Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse,“ veritatem neglexerit. Quamquam ei haec offensio, quippe qui eodem loco rem quandam, quae illam vituperationem quasi irritam faciat, afferat, haud ita gravis videtur fuisse. Paulo enim ante auctoritatem Herodoti, quem alio loco[1] „patrem historiae“ appellat, et Ennii pari laude dignam esse dixerat. Nam „Herodotum,“ inquit, „cur veraciorem ducam Ennio? Num minus ille potuit de Croeso quam de Pyrrho fingere Ennius?“ Quod, quamvis perverse dictum esse cum Langio[2] consentiam, tamen eo ipso, quantopere Cicero admiretur Ennium alterum quasi Herodotum, dilucide demonstratur.

Apparet igitur, Ciceronem Ennii annalibus et propter res, quae in iis descriptae erant, et propter verba, quibus poeta usus erat, aeque delectatum esse. Sed haec de epicis poetis Romanorum hactenus.

Proximum est, ut Ciceronis opinionem de tragicis poetis exponamus.

Ac primum quidem Livii fabulae non satis dignae, quae iterum legerentur, Ciceroni visae sunt.[3] In Naevii autem fabulis maxime laudat locos communes et generales sententias, quales sunt hae:

„Male parta male dilabuntur“[4] et „Sero sapiunt Phryges.“[5] Iam in Ennii tragoediis Medeam, Andromacham, Thyestem Ciceroni praecipue placuisse Ribbeckius contendit.[6] Quod de Medea et Andromacha quidem concedo iisque tertiam addere non dubito Alexandrum. Ad hoc vero iudicium ducimur ipso numero versuum ex tribus illis tragoediis citatorum, quoniam multo plures ex his quam e reliquis fabulis laudantur. Deinde etiam ex iis, quae de singulis aperte dicit, cognoscitur, quanti Cicero eas

---

[1] de leg. I. 1,5. [2] l. l. p. 25. [3] Brut. 18,71. [4] Phil. II, 27,66. [5] ad fam. VII, 16,1. [6] Röm. Tragödie p. 215.

aestimaverit. Andromacham enim admiratus exclamat „Praeclarum carmen est enim et rebus et verbis et modis lugubre.“[1] Eodemque loco laudat praeclaram descriptionem regiae Priami omni genere ornamentorum splendentis, priusquam a Graecis deleretur, quia recte poeta „egregius“ senserit, omnia repentina et necopinata esse graviora. Tum Andromacha[2] et Medea[3] in iis fabulis, quibus meliores vix ullas exstitisse Cicero putat, afferuntur. Denique se Alexandro maxime gavisum esse indicat, cum Quintum fratrem, cui in carminibus pangendis plus tribuit quam sibi[4] ab eoque iudicium de suis carminibus petit,[5] de illo carmine inducit sic loquentem: „poema tenerum et moratum atque molle .... deus inclusus corpore humano iam non Cassandra loquitur.“[6]

Sed quod Thyestem fabulam quoque Ribbeckius in numerum Ennii optimarum fabularum retulit, non video satis certis argumentis illud probatum esse. Quamquam enim Cicero nonnulla in hac tragoedia praeclare[7] et luculente[8] dicta esse dicit, tamen in ea multa „inania,“ atque „perquam inania“ esse iudicat,[9] quaedam etiam et in versibus[10] et in sententiis[11] eius fabulae improbat.

Iam quaeramus, quid sit illud, quod maxime Ciceronem in Ennii tragoediis delectaverit. Ac primum quidem arte, qua Ennius vaticinationes, ut visiones illas in Alexandro per totam fabulam dispersas:

„Mater gravida parere se ardentem facem
Visa est in somnis Hecuba, ...[12] e. q. s.“

et: „Adest, adest fax obvoluta sanguine atque incendio?
Multos annos latuit; cives ferte opem e. q. s!“[13]

---

[1] Tusc. disp. III, 19,44. [2] de opt. gen. or. 6,18. [3] de fin. ,I 2,4. [4] ad Quint. frat. III, 4,4. [5] ibid. II, 16,4. [6] de div. I, 31,66. [7] de off. II, 7,23. — ibid. III, 29,104. [8] Tusc. disp. I, 44,107. [9] Tusc. disp. I, 44,107 et in Pis. 19,43. [10] orat. 55,184. [11] de orat. III, 41,164. [12] de div. I, 21,42. [13] de, div. I, 31,66. — ibid. I, 54,101. — ibid. II, 55, 102.

finxerat, valde gavisus est. Concedit enim Quinto fratri, eas, quamvis res ipsas non credat, delectationes tamen habere quantum velit.[1] Deinde Cicero egregias descriptiones animi mentisque humanae admiratur, ut lugubres illos Andromachae versus:[2]

„Quid petam praesidi aut exsequar, quove nunc
Auxilio exsili aut fuga freta sim?
Arce et urbe orba sum. Quo accidam e. q. s.?"

Praeterea ex Ennii fabulis exempla, quibus opinionem suam de natura affectibusque animi declarare studet, lubentissime haurit. Itaque in explicanda et definienda calliditate vel funesto amore et maerore Medea,[3] in pavore Alcumaeo,[4] in consuetudine Eurypylus[5] quasi exempla et testes ex Ennianis fabulis vocati adhibentur.

In rebus autem ipsis in tragoediis descriptis primum illud probat, quod Ennius haruspices interpretesque somniorum acerrimis verbis castigat,[6]

„superstiosi vates inpudentesque harioli
Aut inertes aut insani aut quibus egestas imperat,
Qui sibi semitam non sapiunt ... e. q. s.

vel astrologos irridet,[7]

„Astrologorum signa in caelo quaesit, observat Jovis
Cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod
beluae
Quod est ante pedes nemo spectat. e. q. s."

Etenim Quintum fratrem et Laelium acerbas illas facetias plane probantes inducit, ut facile intellegatur, quid ipse sentiat. Tum sententias quasdam Ennianas laudibus cumulat. Illa enim:

„Amicus certus in re incerta cernitur"

atque: „Quem metuunt oderunt: quem quisque odit perisse expetit"

---

[1] de divin. II, 55,112. [2] Tusc. disp. III, 19,44. [3] de deor. nat. III, 25,65 et ib. 29,71. — Tusc. disp. IV, 32,69. [4] Tusc. disp. IV, 8,19. [5] ibid. II, 16,38. [6] de divin. I. 40,88; ibid. I, 58,132. [7] de re p. I, 18,30.

et: „Benè facta male locata male facta arbitror"
„recte"[1] et „praeclare"[2] dicta esse dicit.

Contra etiam multa, quae neglegenter et sine iusta ratione ab Ennianis personis cogitata[3] aut facta[4] sunt, vituperat. Deinde reprehendit vel maxime poetam, quod, cum Medeam faciat honorem amori postponentem, perniciosam audientibus sententiam versibus illustret.[5]

Inprimis autem acrem spiritum et gravitatem rerum in Ennii tragoediis sibi placuisse indicat, cum eum „cantoribus Euphorionis," hoc est recentioribus poetis, qui tum Alexandrinorum artem imitabantur, opponit.[6]

Sequitur, ut Ciceronis sententiam de elocutione Ennii examinemus. Ac primum quidem eius perspicuitatem,[7] deinde copiam verborum valde admiratur. Etenim quae Crassum dicentem facit: „Ennium maxime cuiusque rei propria quae essent ornatissima atque optima occupasse," ipse probat.[8] Porro Cicero Ennium conditorem novi cuiusdam generis loquendi, quod sane interdum antiquitatem quandam resipere bene scit,[9] a se haberi testatur. Namque Ennio assentiri non dubitat, cum ille se primum Romanorum „dicti" studiosum fuisse gloriatur.[10] Verba autem nova vel compositione facta ut „saxifragus"[11] et „expectorat"[12] vel „sine coniunctione," ut ait, inventa ut „incurviscere"[13] atque verba propria propriis mutata ut „Africa" pro „Afris"[14] et „Roma" pro „Romanis"[15] laudat. Denique poeta Ciceronis opinione auribus „iudicibus vocum et numerorum"[16] indulget, cum pro verbo pleno ut „scripserunt" et „templis eisdem" imminutum ut „scripsere" et „templis isdem"[17] dicat.

Sed illud Cicero vituperat, quod Ennius non omnibus locis iustam diligentiam adhibuerit[18] et quamvis omnino

---

[1] Lael. 17,64. [2] de off. II, 7,23; ibid. II, 18,62. [3] de inv. I, 49,91; Topic. 16,61. [4] Tusc. disp. I, 44,105. [5] Tusc. disp. IV, 32,69. [6] Tusc. disp. III, 19,45. [7] de rep. V, 1,1; Tusc. disp. III, 44,107. [8] de orat. I, 34,154. [9] Tusc. disp. I, 12,27: cascus; orat. 48,160: Burrus Brugesque. [10] Brut. 18,71. [11] de orat. III, 42,167. [12] ibid. III, 38,154. [13] de orat. III, 38,154. [14] orat. 27,93. [15] de orat. III, 42,167. [16] orat. 49,162. [17] ibid. 47,157. [18] de orat. III, 40,162

non discedat a communi more verborum,[1] tamen voces quasdam ut „meũm factũm“ et „exitiũm“ „inusitatius“ contraxerit.[2]

Iam de numeris Ennianorum versuum videamus. Quos Cicero omnino probare videtur, cum in hac quoque re Ennium opponat[3] „poetis novis,“ quorum rationem versus formandi aperte illudit.[4] In eo autem, quod Ennius syllabam — us in fine vocabulorum ut in „optumus“ ante voces a consonantibus incipientes brevem esse voluit, non offendit. Nam Ennii illud:

„Qui est omnibus princeps“

defendit.[5] Verum tamen habet, quod in Ennii versibus quoque reprehendat. Illos enim ut Naevianos saepe neglegentiores[5] et interdum orationis solutae simillimos esse censet.[6]

Sed iam ad Ciceronis iudicia de

Pacuvii

tragoediis consideranda accedamus. Ex quibus Antiopam et Teucrum inprimis admiratur. Illam enim fabulam, in qua verecundiam loquendi praecipue laudat,[7] Ennii Medeae et Andromachae parem esse contendit.[8] Quamquam in ea reprehendit Zethum doctrinae „nimis“ inimicum,[9] quem Enniano Neoptolemo paucis quidem philosophanti opponit, et Amphionem, quod „obscurius“ testudinem descripserit[10] et quod id, de quo lis est, non defendat, sed vituperata musica sapientiam laudet.[11] Deinde Iovis flagitio ipso in ea descripto, quod mores audientium corrumpat, minime delectatur.[12]

In Teucro autem Pacuvii „inflammationem animi et adflatum“ quasi furoris, quo Telamonis iracundiam luctumque depinxerit[13] atque „vim divinam,“ qua Hesionae cura et timor ab eo descripti sint, laudibus exornat.[14]

---

[1] orat. 11,36. [2] orat. 46,155. [3] orat. 48,161. [4] ad. Attic. VII, 2,1. [5] orat. 45,152; ibid. 11,36. [6] ibid. 55,184. [7] ad fam. IX, 22.1. [8] de fin. I, 2,4 et de opt. gen. orat. 6,18. [9] de re p. I, 18,30; de orat. II, 37,155. [10] de div. II, 64,133. [11] de inv. I, 50,94. [12] Tusc. disp. IV, 33,70. [13] de orat. II, 46,193; ibid. III, 58,217. [14] de div. I, 36,80.

Denique in eadem tragoedia „translata illa per similitudinem verba“

„inhorrescit mare,
Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbrum occaecat nigror,
Flamma inter nubes coruscat, caelum tonitru contremit,
Grando mixta imbri largifico subita praecipitans cadit;
Undique omnes venti erumpunt, saevi exsistunt turbines;
Fervit aestu pelagus“[1]

et Teuci dictum ad omnem (sc. vivendi) rationem accommodatum:[2]

„Patria est, ubicumque est bene“

praedicat. Iam Pacuvii Niptra in eo etiam melius se habere dicit,[3] quam Sophoclis, quod Ulixes hac in fabula gravior et durior descriptus sit, eaque de causa non mirum videtur, quod eodem loco poetam, quippe qui ferendi doloris consuetudinem esse non contemnendam magistram intellexerit, „prudentem“ appellat. Tum in „Hermiona“ laude eloquentiae ita delectatur, ut propter hanc ipsam orationis laudem Pacuvium „poetam bonum“ dicat[4] atque in Iliona „bonos illos Deiphili septenarios:“[5]

„Mater te appello“ e. q. s

et molestiam bene a poeta versibus descriptum praedicat.[6] Porro vulgi clamores, qui praeclarissimo illo certamine Orestis et Pyladis in „Chryse“ excitati erant, vehementissime laudat.[7] Neque probat Quinti fratris sententiam, cum is Pacuvium reprehendit,[8] quod in Chryse physicus ab eo inductus sit, qui minime naturam rerum cognosse videatur, quia paucis post illa:

„Isti qui linguam avium intelligunt
Plusque ex alieno iecore sapiunt quam ex suo,
Magis audiendum quam auscultandum censeo“

interpositis versibus luculente dicat:

---

[1] de orat. III, 39,157. [2] Tusc. disp. V, 37,108. [3] Tusc. disp. II, 21,49. [4] de orat. II, 44,187. [5] Tusc. disp. I, 44,106. [6] de orat. III, 58,219. [7] de fin. V, 22,63; Lael. 7,24. [8] de divin. I, 57,131.

„Quidquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat,
Sepelit recipitque in sese omnia omniumque idem est pater
Indidemque eadem quae oriuntur de integro aeque eodem occidunt."

Nam ista contra illum disputans poetam defendit: „Ut," inquit, „uno consensu rerum natura iuncta sit et continens, quod video placuisse physicis, iisque maxume, qui omne quod esset unum esse dixerunt," — id autem ad verba illa a fratre allata sine dubio spectat -- „quid habere mundus potest cum thesauri inventione coniunctum?"[1]

Minus ei placuisse videtur Medus.[2] Nam neque ullo loco hanc fabulam laudat et in ea Medeae levitatem[3] stultitiamque Aeetae vituperat.[4]

Itaque si Ciceronis iudicia de Pacuvianis fabulis, de quibus diximus, breviter comprehendimus, illud plane comprobatur, Ciceronem Pacuvium propter tragicam vim maxime admiratum esse et „summum tragicum poetam" appellasse.[5] Sed cum illud vituperat, quod fabularum personae interdum nimis indoctae et inelegantes descriptae sint, tum in eo offendit, quod non omnes Pacuvii tragoediae ad hominum mores corrigendos idoneae sint.

Iam vero elocutionem Pacuvii omnino non probat atque etiam male locutum esse poetam dicit.[6] Adde, quod vehementer vituperat eum, qui vocabula quaedam „durius" contraxerit in:[7]

„Consiliũm socii, auguriũm atque extũm interpretes."

Contra Pacuvii versus Ciceroni valde placuerunt. Etenim „omnes," inquit, „apud hunc ornati elaboratique sunt versus."[8]

---

[1] de divin II, 14,33. [2] Non probo, quod Teuffel l. l. p. 10, ut Medum Ciceroni non placuisse demonstret, adhibet de off. I, 31,114. Ibi enim Cicero nihil aliud nisi hoc contendit: scenicos in elegendis fabulis non tam earum praestantiae quam suarum ipsorum facultatum rationem habere. [3] Tusc. disp. IV, 32,69. [4] ibid. III, 12,26. [5] de opt. gen. or. 1,2. [6] Brut. 74,258. [7] orat. 46,155. [8] orat. 11,36.

Sequitur, ut Ciceronis iudicia de

Accio

consideremus. Cuius Epigoni[1] et Atreus eum inprimis delectaverunt. Et Atreum quidem plurimi fecisse videtur. Testis est magnus numerus versuum ex eo citatorum, testes laudes, quibus illam tragoediam cumulat. In his haud infimum locum obtinet, quod Accius Atrei personae, quod eam deceat, recte semper tribuerit.[2] Iam perturbationes animi, ut Atrei iracundia,[3] in ea fabula tam bene descriptae, ut „speciem ardoris et furoris poetae ipsius prae se ferrent," Ciceroni summam delectationem paraverunt. Porro „recte et verissume" haec dicta esse iudicat:[4]

„Quod re in summa summum esse arbitror
Periculum, matres coniquinari regias
Contaminari stirpem ac misceri genus,"

et Accium summis laudibus praedicat, quod haec dicentem faciat Atreum. Tum in „Atreo" praeclara illa praecepta „poetae gravis et ingeniosi," ut ait,[6]

„Te id, quod multi invideant multique expetant, inscitiast
Postulare, nisi laborem summa cum cura ecferas"

et: „Proinde ita parent se in vita, ut vinci nesciant"[7]

Ciceroni maxime placuerunt.

Verum tamen hoc Atrei:

„Probae etsi in segetem sunt deteriorem datae
Fruges tamen ipsae suapte natura enitent"

falsum iudicat[8] atque illud:

„oderint dum metuant"

quod perniciosum populo sit, minime probat.[9] In reliquis autem Accii fabulis descriptione pastoris illius in „Medea," qui primum navem, qua Argonautae vehebantur, conspicit, valde delectatus est.[10] Tum Accianus „aliquando

---

[1] de opt. gen. orat. 6,18. [2] de off. I, 28,97. — ibidem III, 38,102 et 106. — pro Sest. 48,102. [3] de orat. III, 58,217. [4] Tusc. disp. IV, 25,55. [5] de deor. nat. III, 27,68. [6] pro Sest. 48,102. [7] Tusc. disp. V, 18,52. [8] Tusc. disp. II, 5,13. [9] pro Sestio 48,102. [10] de deor. nat. II, 35,89.

sapiens Achilles" melius quam Ennianus satis ille quidem inconsideratus Ciceroni placuit.[1] Denique Superbi Tarquinii somnium in Bruto ab Accio copiose descriptum[2] et Eurysacis canticum illud,[3] quo „disertissimus poeta" non solum plausum sed etiam gemitum populi Romani excitavit, laudibus effert.

Contra Accii Philocteta, qui, cum lenius fortunam perpetiatur, animos audientium molliat, Ciceronem offendit.[4]

His absolutis iam in eo est, ut Ciceronis iudicium de Accii fabulis breviter constringamus. Itaque in iis artem personas constanter describendi, vim gravitatemque dicendi maximis laudibus effert, sceleratos autem et effeminatos animos personarum improbat.

Proximum est, ut quid Cicero de Accii elocutione iudicaverit, quoad fieri potest, quaeramus. Saepius autem summam elegantiam in eo inesse profitetur. Etenim iudicat Accium in suo genere poesis esse quasi alterum Terentium,[5] cuius „lectum sermonem" vehementissime laudat. Tum „invidere florem" Latine quidem „male," poetico tamen iure „praeclare" ab Accio dictum esse pronuntiat[6] ac ne illud quidem, quod ille formis „duorum" et „duum" promiscue usus est, videtur improbasse.[7]

Iam e reliquis tragicis poetis Atilio duritiem sermonis[8] et Iulio Caesari lenitatem sine nervis[9] vitio dat. In C. Titii autem tragoediis res „satis acute sed parum tragice" tractatas esse dicit.[10] Quinti denique fratris ingenium[11] et festivitatem[12] in carminibus pangendis amplissimis verbis celebrat.

In tragicorum igitur poetarum numero Ennius Pacuvius Accius Ciceronis opinione longe principes exstiterunt, quod ipse confirmat, cum tres illos Romanorum tragicos cum Aeschylo Sophocle Euripide componit.[13]

---

1 Tusc. disp. I, 44,105. 2 de div. I, 22,44. 3 pro Sest. 56, 120—122. 4 Tusc. disp. II, 7,19. — ibid. 10,23. — de fin. II, 29.94. 5 de opt. gen. orat. I, 3. 6 Tusc. disp. III, 9,20. 7 orat. 46,156. 8 de fin. I, 2,5. — ad Att. XIV, 20,3. 9 Brut. 48,177. 10 Brut. 45,167. 11 ad Quint. f. III, 5 et 6,7. 12 ibid. II, 15 b. 3. 13 de orat. III, 7,27.

Sed cum Cicero horum poetarum carminibus propter tragicam virtutem inprimis delectatus sit, restat, ut quid in uno quoque maxime laudaverit, indicemus. Itaque Ennii et Accii sermonem et ubertatem sententiarum, Pacuvii autem tragicos nervos praedicat. Iam Accium propterea, quod personas politiores descripserit, Ennio, qui tamen hac in re Pacuvium superat, anteponit, quod molliores et leniores eas fecerit, inferiorem et Ennio et Pacuvio putat. Singularis autem verborum magnificentia et copia dicendi, quae fuit in Ennii tragoediis, Ciceroni videntur praecipue placuisse.

Itaque si iam omnia Ciceroniana iudicia de tragicis poetis memoria repetimus, Cicero nobis magis eorum verbis quam rebus, quas tractaverunt, videtur esse delectatus. Inprimis autem illud reprehendit, quod saepe res obscenae in fabulis narrentur.[1]

Quamquam illud magis etiam ad comicos quam ad tragicos poetas pertinet: „O praeclaram emendatricem vitae poeticam! quae amorem, flagitii et levitatis auctorem, in concilio deorum conlocandum putet."

Sed non solum propter res impudicas in fabulis descriptas verum etiam propter malos versus comicos tragicis postponit. Nam cum illos his, quorum versus interdum similes orationis solutae esse concedit, opponit „At," inquit, „comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic saepe sunt abiecti, ut nonnunquam vix in eis numerus et versus intelligi possit." Iam ad Ciceronis sententiam de singulis comicis transeamus. Ac primum

Ennii

comoedias ne mentione quidem dignas putat. Sed

Plautum

jocandi genere „eleganti, urbano, ingenioso, faceto" excellere censet. Porro in

---

1 ad fam. IX, 22,1. 2 Tusc. disp. IV, 32,69. 3 orat. 55,183. 4 de off. I, 29,104.

Caecilii

fabulis Synephebos valde admiratur.[1] In hac enim comoedia, quamquam rerum levitatem minime probat, tamen laudat argutias et acumen.[2] Praecipue autem Caecilius Ciceronem, qui eum summum fortasse comicum poetam esse dicit,[3] comica virtute et arte in describendis hominum moribus delectat. Hae vero descriptiones ab eo quasi exempla perfectae describendi artis afferuntur.[4] Contra cum sermo Caecilii, quem male locutum esse tradit[5] atque „malum auctorem Latinitatis" appellat,[6] tum levitas rerum, quae in comoediis ab eo narrantur, Ciceroni non probantur. Ad Caecilium enim illa vituperatio „O praeclaram emendatricem vitae poeticam!" vel inprimis spectat, tum „levissumas" res illius reprehendit.[7]

Flagitiosas res etiam in Sexti Turpilii[8] et Trabeae[9] comoediis vehementer vituperat.

Hac autem reprehensione ne

Terentii

quidem fabulae vacant, quamvis disputationis subtilitas, qua ille in „levitatibus comicis" describendis usus est, a Cicerone non contemnatur.[10] Iam in Terentianis fabulis singularem quandem artem narrationis summis laudibus effert. Antonium enim de versibus quibusdam Andriae fabulae, cuius praestantiam omnino admiratur,[11] sic loquentem facit: „mores adolescentis ipsius (sc. Pamphili) et servilis percontatio, mors Chrysidis, vultus et forma et lamentatio sororis, reliqua pervarie iucundeque narrantur."[12] Huc accedit, quod ille ipsius Ciceronis haud dubie sententiam pronuntians festivitatem Terentianae orationis praedicat.

Tum Terentii faceto genere iocandi, quod Plautino

---

[1] de fin. I, 2,4. — de opt. gen. or. 6,18. [2] de deor. nat. III, 29,72—73. [3] de opt. gen. or. 1,2. [4] de fin. II, 4,14. — Lael. 26,99. — pro Cael. 16,38. [5] Brut. 74,258. [6] ad Att. VII, 3,10. [7] de deor. nat. I, 6,13. [8] Tusc. disp. IV, 34,72. — ad fam. IX, 22,1. [9] Tusc. disp. IV, 31,67. [10] de deor. nat. III, 29,72—73. [11] de fin. I, 2,4. — de opt. gen. or. 6,18. [12] de orat. II, 80,326.

non dissimile esse iudicat,[1] delectatur atque notationem morum eximie sibi placuisse multis et praeclaris exemplis confirmat.[2] Prudentiam poetae laudat, cum haec tamquam „commode" dicta e Phormione afferat:[3]

„Omnis, cum secundae res sunt maxume tum maxume
Meditari secum oportet, quo pacto adversam aerumnam ferant.
Pericla, damna peregre rediens semper secum cogitet,
Aut filii peccatum aut uxoris mortem aut morbum filiae,
Communia esse haec; ne quid horum umquam accidat animo novum:
Quicquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro."

Ciceronis denique opinione Terentius „lecto sermone" unus omnium maxime excellens exstare videtur. Eum enim in „Limone" sic allocutus est:

„Tu quoque, qui solus „lecto sermone" Terenti
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
..... ecfers."

In sermone autem hoc laudat, quod „recte" plenum verbum „noveras" et „usitate" imminutum „noras" dixerit.[4]

Iam quanti Terentii „elegantiam sermonis" aestimaverit, ex eo elucet, quod hac in re illum Caecilio opponit.[5]

Omnino Ciceronem multo maiorem delectationem e Terentio quam e Caecilio cepisse comparatis inter se locis, quorum multo maiorem numerum ex illo quam ex hoc citavit, patet. Quam ad rem sine dubio praeclara Terentiana elocutio plurimum valuit. Denique

Afranium

„hominem perargutum" in fabulis esse „disertum" Cicero praedicat.[6]

---

[1] Lael. 26,98. Quare non consentio cum Langio (l. l. p. 54) et Lorenzio (in edit. Mostellariae Plautinae p. 45), qui cum „Plautum iis ipsis virtutibus, quas in Terentio Cicero admiretur, valde carere contendant, Ciceronem re vera magnam ex illius comoediis cepisse delectationem" negant. [2] Cat. mai. 18,65. — pro Cael. 16,138. — Lael. 25,93. [3] Tusc. disp. III, 14,30. [4] orat. 47,157. [5] ad Attic. VII, 3,10. [6] Brut. 45,167.

Sed ex his omnibus de comicis poetis iudiciis, quae tractavimus, illud apparet, Ciceronem etiam in comicis poetis lubentius verborum quam rerum causa esse versatum. Iam in

Atellanis

illud vituperat, quod ioci in rebus severis parum apte ab illis admissi sint,[1] quamvis Pomponii „urbanitatem" [2] et Novii „salem",[3] quibus ii in fabulis usi sint, laudet. Illas vero praefert

mimis,

quos plane contemnit. Namque neminem nisi hominem duro et agresti animo Publilii et Laberii poematis delectari posse contendit.[4] Levitas autem et obscenitas iocandi in iis causa videtur esse, cur omnino mimos despiciat. Etenim mimicum iocandi genus dicit esse „subobscoenum" [5] atque „levius," [6] ut

„quid est tibi ista mulier? — Uxor —
Similis medius fidius. —
et „quamdiu ad aquas fuit, numquam est mortuus."

Ex quo patet, mimicos iocos a Cicerone haberi in „illiberali illo, petulanti, flagitioso, obsceno iocandi genere," quod illius opinione libero homine indignum et Plautinarum facetiarum urbanitati contrarium est.[7]

Pauca addam de

Lucilio.

Huic igitur Cicero tribuit cum doctrinam[8] tum singularem salem cum „summa urbanitate" [9] et „multa venustate" [10] coniunctum. Nam in „Romanis veteribus atque urbanis salibus, qui etiam salsiores quam Atticorum sales sint," Lucilianos fere optimos esse iudicat."[11] Itemque illud, quod Lucilius satiris, ex quibus ingens multitudo locorum apud Ciceronem exstat, patrias res

---

[1] de div. II, 10,25. [2] ad fam. VII, 31,2. [3] de orat. II, 69,279. — de orat. II, 63,255. — ibid. II, 70.285. [4] ad fam. XII, 18,2. [5] de orat. 26,87. [6] de orat. II, 67,274. [7] de off. I, 29,104. [8] de orat. II, 6,25. [9] de fin. I, 3,7. [10] de fin. I, 3,9. [11] ad fam. IX, 15,2.

celebraverit, probat.[1] Neque magis in Luciliana quam in Enniana versus componendi ratione offendit.[2]

Iam relinquitur, ut breviter quaeramus, quid Cicero de recentiorum poetarum Romanorum carminibus iudicaverit. In quibus nihil fere nisi Lucretii ingenium et artem[3] atque Varronis elegantiam[4] videtur praedicare.

Laudes autem, quibus Archiam in oratione pro Archia celebrat, nihil fere de Ciceronis vera sententia probant.[5]

Sed ab his poetis imitatores Alexandrinorum, qui Ciceronis aetate Romae exstiterunt, valde abhorrent. Atque a Cicerone quidem obtrectatores illi Ennii, quos ei opponit, vehementer irridentur. Illos enim cantores „Euphorionis" nominat.[6] Qua ex re primum patet, Ciceronem poetas novi illius generis, quia lyrica carmina fuderint, reprehendere. Lyrica autem poemata „si duplicetur sibi aetas, habiturum se tempus quo legat Ciceronem, quae erat eius philosophia, negare" [7] constat. Tum illo „cantores" Euphorionis dilucide demonstratur, eos a Cicerone propterea maxime vituperatos esse, quod natura et ingenio priscorum poetarum contemptis nihil aliud studerent nisi, ut Alexandrinos, quoad fieri posset, imitarentur. Et nimis artificiosam quidem versus condendi rationem „τῶν νεωτέρων" acerbe illudit, cum ad Atticum scribit:[8] „Flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites" hunc σπονδειάζοντα, si cui voles τῶν νεωτέρων protuo vendita," eademque de causa illos poetas, quos etiam ea in re Ennio ab illo opponi vidimus, non sine irrisione „novos [9]" appellat. Cicero igitur imitatores Alexandrinorum, quamquam Calvi epigrammatum acerbitatem mentione non indignam putat,[10] omnino tamen non probat.

Postremo autem, ut ea, quae Cicero de Romanorum poetis memoriae prodidit, recte intellegantur, monere

---

[1] de fin. I, 3,9. — Brut. 26.99. — ib. 43,160 - de fin. II, 8,24 et 25. — de orat. III, 33,86. — ad Att VI, 3,7. — ibid. II,8,1. — Brut. 46,172. [2] orat. 48,161. [3] ad Quint. frat. II, 11,4. [4] Acad. post. I, 3,9. [5] Lange, l. l. p. 68. [6] Tusc. disp. III, 19,45. [7] Seneca ep. 49 § 5. [8] ad Att. VII, 2,1. [9] orat. 48,161. [10] ad fam. VII, 24,1.

debemus, illi, qui erat orator rerumque civilium peritus, nihil probabile visum esse, nisi quod ad artem dicendi et ad vitam moresque hominum pertinet. Itaque Cicero in illis verba et poeticam pulchritudinem laudat, res autem leves, quae audientium moribus perniciosae sint, vituperat. Eademque de causa etiam poetis in universum illud, quod hominum animos molliant et mores corrumpant, culpae vitioque dat.[1]

[1] Tusc. disp. II, 11,27. — de leg. I, 17,47.

Vita

Natus sum Ernestus Schollmeyer die XXIV. m. Febr. a. 1860 Mulhusae Thuringorum patre Gustavo, tum superintendente, matre Maria e gente Schuelgen, quos adhuc superstites esse maxime laetor. Fidem profiteor evangelicam. Inde ab a. 1870 gymnasium Halberstadense frequentavi. Auctumno a. 1879 testimonio maturitatis instructus, ut medicinae operam darem, Gottingam me contuli. Auctumno anni insequentis Halas Saxonum migravi ibique tria per semestria philologicis philosophicis theodiscis scholis interfui. Docuerunt me viri illustrissimi: Baumann, Goedeke, Riecke Gottingenses; Dittenberger, Duemmler, Erdmann, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Koestlin, Krohn, Schmidt, Zacher.

Proseminarii et seminarii philologici exercitationibus ut interessem, benigne mihi permiserunt Dittenberger, Hiller, Keil. Ut in societatem philologicam reciperer, Keilii benevolentia mihi contigit.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratiam semper habebo quam maximam.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Cic. ep. ad Brut. I, 3 genuina est.

II.

Mueller-Struebing de re p. Athen I, 18 „τοὺς ἐκπλέοντας Ἀθηναίων“ iniuria mutavit in „τῶν ἐκπλεόντων Ἀθηναίων.“

III.

Lys. or. XIX, 19 verba „καὶ Λυσίου“ delenda sunt.

IV.

Herbarti doctrinam paedagogicam ad pueros scholis publicis instituendos et educandos aptam esse contendo.



NOV 20 1946